

ptura S. arguit *Apoc. II, 6. 15.* Irenæus (o) memorat docentes, nullam esse differentiam in mæchando, i. e. mœchari ἀδικώσασθαι esse. Clemens Alex. (p) testatur quosdam, qui Nicolaum se sequi dicunt, publicam (πῶνδρημον) venerem pronunciare mysticam communionem, ac refert aliquem ex his formosam virginem ad stuprum sollicitasse, sequentibus Christi verbis prave in libidinem suam detortis: τὴν ἀγαθήν σε ἔδρα. *Matth. V, 42.* Sicut autem hi in plurimos deinde, Clemente & Epiphonio testibus, ramos, v. g. Gnosticos, Phibionitas, Leviticos, Carpocratianos, & Epiphonis sectatores pluresque alios discessere, ita porro hic notandum est, quod de Phibionitis Epiphonius (q) tradit, eos mulierculis illudere; qui & ipsum hoc Apostoli dictum ad mores eorum perditos ita applicat, ut scribat: *Imo etiam decipiunt credulum ipsis muliebre genus illud peccatis refertum, & variis cupiditatibus ductum.*

§. VI. Quare mittimus illos & intimius ceterorum castra intramus certe persuasi, adhuc plures eorum nobis offerri, qui mulierculis sese insinuarunt & animos eorum dogmatibus suis deceperunt. Nec spes nos fallere videtur, cum summi iudicii Pater Hieronymus (r) Apostoli dictum ita inspexit, ut scripserit: *Per hanc occasionem multaque hujuscemodi spinarum & Lusitaniae decepta sunt muliercula, onerata peccatis, quae ducuntur desideriis variis, semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes: ut Basilidis, Balsami atque Thesauri, Barbelonis quoque & Leusiboræ ac reliquorum nominum portentosa susciperent, de quibus diligentissime vir Apostolicus scribit Irenæus, Episcopus Lugdunensis & Martyr, multarum origines explicans hereseon & maxime Gnosticorum, qui per Marcum Ægyptium, Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles fœminas deceperunt, miscentes fabulis voluptatum & imperitiæ suæ nomen scientiæ suæ vendicantes.*

§. VII.

(o) *Lib. I. cap. XXVI.* (p) *Strom. Lib. III. p. 411. & 436. seq.* (q) *Her. XXVI. p. m. 74. 77.* (r) *Comment. Lib. XVII. in Esaiam c. 68.*